DE

APPETITV ERRONEO,

QVEM VVLGO

PICAM

VOCANT,

PERMISSV

GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN ALMA LIPSIENSI

SVB PRÆSIDIO

D. AVGVSTI QVIRINI RIVINI,

P. P.

PRO LICENTIA

SVMMOS HONORES MEDICOS IMPETRANDI

DISPVTABIT

WOLF HENRICVS SCHREY,

AVTOR ET RESPONDENS,

DIE XVIII. APRILIS cIɔ Iɔ ccxix.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

LITERIS IMMANVELIS TITII.



Q. D. B. V.

§. I.



SI morborum appellationes examinemus, constabit haud obscure, plerasque græcas esse, paucissimas vero latinas. Cujus rei non alia videtur causa, quam quod antiquissimi Auctores, in Scholis Medicorum recepti, sint HIPPOCRATES ac reliqui Græci. Nemo autem inter Romanos usque ad Augusti Cæsaris tempora seu natiuitatem Saluatoris nostri scriptis inclaruit, siquidem urbs, teste PLINIO *Hist. Nat. Lib. XX. cap. 9. p. m. 617. & Lib. XXIX. cap. I. p. 250. & 257.* plus quam 600 annis Medicis caruit, imo & primos a Græcis impetrauit Medicos, uti ARTORIVM MVSAM, Augusti Cæsaris Medicum, ANDROMACHVM, Neronis Archiatrum &c. Quotquot ergo e SCRIBONIO LARGO, CORNELIO CELSO, PLINIO cæterisque primis Scriptoribus Latinis colligere licet morborum nomina, vix ac ne vix quidem satisfaciunt; & quæ postmodum superaddita fuere a recentioribus, dum auctoritate classica destituuntur, Picæ nomen

tuuntur,

tuuntur, non omnibus æque arrident, uti vel unicum Picæ, cuius tractationem suscepi, exemplum probare poterit.

§. II.

Latinum morbo cum aue pica commune.

Quis primus Picam dixerit morbum, haud satis constat. Audiamus ea de re VOSSIVM *de vitiis serm. C.32. p. 137.* Vulgo, sed sine Veterum exemplo, Pica a Medicis vocatur, quod grauidarum Malaciam Plinius appellat. Forsan in eo JOH. GORRÆVM imitatus est, qui in *Definit. Med. p. 229.* ita loquitur: Quamuis κίττα picam auem significet, non tamen de affectione ista loquens picam recte v ertere poteris, nisi quadam Græcorum imitatione, sine tamen idoneo Auctore, quod nemo unquam latine picam pro eo affectu dixerit. PLINIVS certe nunquam picam, sed grauidarum malaciam sæpe dixit. Verum hactenus non nisi tria in PLINIO loca reperire licuit. Primus est *Lib. XXIII. cap. 6. p. m. 840.* ubi semen citreorum malorum edendum in malacia commendat: alter est *l. c. p. 841.* malicorium expetitur grauidarum malaciæ: tertius est *Lib. XXVIII. cap. 7.* lac muliebre in malacia stomachi efficacissimum. In quibus tamen nulla fit mentio appetitus rerum absurdarum, ideoque malacia hæc male cum pica confunditur, ut in §. V. ulterius apparebit.

§. III.

ex Græco translatum.

Apud Græcos κίσσα, Attice κίττα picam significat & auem & morbum, uti apparet ex ARISTOPHANIS Ὀρνιθ. *vers. 1297. p. 424.* & VETERI SCHOLIASTE *ad hunc locum*, item in Εἰρην. *ad vers. 348. p. 291.* & εἰρηνη *vers. 496. p. 349.* DIOSCORIDE *Lib. I. cap. 167.* GALEN.

de Caus.

de Cauſ. Sympt. cap. 7. & de locis affectis Lib. V. cap. 6. PAVLVS ÆGINETA *Lib. I. cap. 1. &* ALEXAND. APHRODIS. *Probl. Lib. II. Q. 73.* Κισσᾶν autem idem eſt, quod anxie deſiderare vel appetere. Pica enim auis voraciſſima eſt ἀδήφαγος καὶ πάμφαγος, *vid.* ARISTOPH. *l. c.* De Appetitu autem idem pronunciauit ARISTOTELES *in Hiſt. Animal. Lib. VII. cap. 4. p. m. 891. &* SVIDAS *in Lexico ſub voce* κιττῶντες.

§. IV.

Pica eſt appetitus inſolida deuorandi, ut arenam, carbones &c. Videlicet appetitus non uno modo læditur: aut enim deficit in Anorexia, aut excedit in fame canina & Bulimo, aut deprauatur in Pica. De malacia dubitari poſſet, utrum rectius ad appetitum deprauatum, an ad auctum referri debeat: etenim grauidæ, quibus Malacia proprie competit, non tam errant circa obiectum, ita ut inſolita, prout pica correpti, appetant, ſed peccant in modo appetendi, quatenus cibos alias etiam uſitatos adeo anxie deſiderant, ut niſi voti compotes fiant, contriſtentur, etiam lacrymis copioſe fuſis dies noctesque rem deſideratam meditentur, unde vel abortus ſequitur, vel ad minimum embryoni nota imprimitur e. g. ceraſi, *vid.* HELMONT. *p. m. 278. 432. 488. 489. 858.* capitis carpionum, JOH. MARC. MARCI *Idear. Operatric. Idea cap. V. p. m. 170. &c.* Rectiſſime ergo a pica diſtinguitur malacia ex ſententia CASP. à REIES *in Elyſ. Quæſt. iucund. Camp. Qu. L. p. 621. &* MANGETTI *in Biblioth. Medico-Pract. Lib. XI. p. 246.* Eius Definitio

§. V.

a Malacia Differentia.

Scio autem, multis confundi Picam atque Malaciam, imo & utrumque vitium in grauidis quandoque concurrere: Nihilominus discrimen satis manifeste liquet ex eo, quod in priori affectu cum voluptate assumantur etiam absurdissima: in posteriori tristitia potius animi exinde oboriatur, quod grauidæ cibus denegetur. Mixtus ergo uidetur affectus, quando grauida rem insuetam v. g. carnes humanas mordere cupit: ubi vero a suo instituto deterretur, contristatur embryonique noxam infert. Etenim quæ ab initio pica erat, postmodum in malaciam degenerauit. Sed missa nunc malacia, tanquam grauidis propria, saltem de pica sermonem instituere lubet. Hæc vero affectio communis est omni sexui & ætati. Puer adhuc lactens cum voluptate comedit terram nigram, teste SIMONE SCHVLTZIO *apud* BONETVM *in Medicina Septentrion. Part. I. p. 523.* Puella 4. annorum crines proprios JOACH. CAMERARIO *ap.* SCHENCKIVM *in Obs. II. de Pica, p. 320.* Puella 4 annorum quotidie multum calcis atque luti de parietibus deglubens & deglutiens, MICH. BERNH. VALENTINI *ap.* BONETVM *Med. Septentr. P. II. p. 463.* Puer 6 annorum cretam, pulueres & arenam, PHIL. JAC. SACHS. *ap.* BONET. *l. c. P. I. p. 524.* Puella 12 annorum lutum fornacum JOH. MATTHÆO *Quæst. med. p. 137.* Alia Nobilis eiusdem ætatis arenam scriptoriam deuorauit auide, notante DAN. SENNERTO *Pract. Lib. III. P. I. S. II. cap. 5. p. 392.* Bina fœminarum exempla habet CASP. HOFMANNVS *in Apologia pro Galeno Lib. III. P. II. S. II. cap. 59.*

quarum

quarum una comedit calcem arena mixtam & cum virgo & cum nupta esset, semper sterilis, vultu tamen bene colorato, semperque sui moris obseruans ultra sexagesimum annum. Altera maritata, decolor, quæ siue prægnans esset, siue non, semper vorauit cretam, sed paucis vixit annis. Vir quidam nobilis edendæ calcis viuæ desiderio diu pressus, illam tandem, pugni magnitudine vorauit, unde recreatus est nulla ventriculi, nulla viscerum offensione. *vid.* JOH. FERNEL. *Pathol. Lib. VI. cap. 3. p. 128.* Quid? quod alius, faber sc. iam senex, uxoris suæ, cum grauida esset, personam egit, vomuit & pica laborauit notante D. SAL. REISELIO *in Misc. Nat. Cur. Dec. I. Ann. 2. Obs. 216. p. 316.*

§. VI.

Ratione obiecti maior occurrit differentia. Etenim sub nomine insolitorum veniunt partim quantitate, partim qualitate peccantia. Atque hinc Picæ quatuor gradus constitui possent. In primo gradu appetit æger rem insolitam quantitate, quando ea, quæ alias pro condimento ciborum parcius sumuntur, in excessiua capit quantitate. Sic refert ZACVTVS LVSITANVS *Prax. Med. admirand. Lib. III. Obs. 120. p. m. 129.* de virgine, quæ salem in tanta quantitate adsueta erat deuorare, ut multoties in die duas esitaret libras. Et NIC. NICOLVS *Serm. V. Tract. IV. c. 36.* de uxore Nicolai Domini Francisci de Barberino, eam tempore gestationis viginti circiter libras piperis comedisse. Et FELIX PLATERVS *Lib. I. Obs. p. 239.* Fœminam quandam grauidam aliquot libras zingiberis maxima voluptate sine ullo incommodo una vice deuorasse. Pica se- Obiectum.

cundi

cundi gradus nominari poſſet, quandocunque circa unicam rem, ſed omnino alienam a ciborum genere appetitus peccat, exemplo monachi, qui, notante JOH. SCHENCKIO *Obſ. Lib. III. O. I. de pica*, cretam tanta cum voluptate comedebat, ut eam continuo ſecum portaret. Tertii gradus longe peior eſt, quoties varia abſurda inter ſe tanquam conuenientia deuorant, quemadmodum legimus ap. HENR. SALMVTH. *Cent. II. Obſ. 62. p. 89.* Virginem quandam 18 annorum omnibus rebus candidis mirifice delectatam, non ſolum cretam anxie appetiiſſe, ſed etiam calcem parietibus deraſam deuoraſſe miramque illius dulcedinem & ſuauitatem prædicaſſe. Hæc cum ab eiusmodi rerum eſu nullis precibus dehortationibusque, imo nec parentum minis abſtrahi deterreriue poſſet, tandem etiam ceruſſæ portiunculam deglutiuit, unde in grauisſima incidens ſymptomata, ac etiam peiora metuens, ſponte ſua abſtinuit. Quarti gradus pica, eaque peſſima recenſetur a D. JOH. MICH. FEHRIO *Miſc. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. Obſ. 83.* his verbis: Degit iam hic Suinfurti puellus 6 circiter annorum, murarii filius, qui a tempore ablactationis ſtatim cretam, pulueres, arenam edere geſtiit, in hypocauſto humi adhuc ſerpens ex omnibus fiſſuris & angulis puluerem anxie quæſiuit & deguſtauit; hoc ſcopis rite remoto, calceamenta arripiebat & in iis hærens lutum ſ. v. abradebat, adeo, ut nec adhortatione, nec minis coerceri potuerit. Creſcente ætate & hic præter naturalis appetitus ita increuit, ut poſtmodum copioſius arenam (interdum una vice menſuram pilei ſemiplenam) calcem, carbo-

carbones, lateres, ellychnia, carnem crudam & farcimina deglutiuerit, citra ullam querelam & dolorem &c.

§. VII.

Non abs re fuerit, melioris ordinis gratia res omnes inepte appetitas dispescere in tria regna. Primum erit vegetabilium, alterum animalium, tertium fossilium. vel vegetabile. Ad classem vegetabilium pertinent amurca, axungia & pix naualis, de quibus videri possunt JOH. DOLÆVS *Encyclop. Med. Lib. V. de morbis mulierum, cap. VI. p. m. 421. & Misc. Nat. Cur. Dec. I. Ann. II. Obs. 209.* Tartarus vini, quem incredibili quantitate foemina quinquagenaria comedit *ap.* NIC. NICOLVM *Serm. V. Tract. IV. c. 36. fol. 57. b.* Frumentum atque triticum in maxima copia a puella 15 annorum deuorata *ap.* PETR. FORESTVM *Lib. XVIII. Obs. VII. p. m. 141.* Et FEHRIO nota fuit foemina praeclara Lipsiensis, quae singulis ferculis etiam orbem tritico crudo plenum apponi curauit, quo alternatim vesceretur. *vid. Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. I. Obs. 83. p. 184.* Semina fagopyri decorticata (Heidegrütze) tres sorores nobiles virgines forma & opibus praestantes semper secum circumtulerunt & comederunt *ex Obs.* JOH. FR. HILDESII *ap.* SCHENCKIVM *Obs. Med. Lib. III. O. I. de pica p. 320.* Arborum sentiumque ramos & folia, lactucam, brassicam capitatam una cum caulibus praeter absurda reliqua in magna copia deuorauit puer epilepticus notante ROSINO LENTILIO *in Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. II. p. 329.* De puella bimula, quae carbones, cretam & ex parietibus calcem & lutum auide deuorauit, postea vero in febrem, Diarrhoeam, denique in Atro-

phiam

phiam incidit. *vid. Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. 7. Obs. 79. p. 143. Autore* JOH. AVENIO. Nobilis alia fœmina carbones arenamque comedit & se in illis gratissimum dulcorem experiri libere confessa est, de qua BERNH. VERZASCHA *Obs. 92. p. 238.* Cineres atque terra a puerulo trium annorum PETR. JOH. FABRI filio magno appetitu efflagitata & comesta, *vid. in Eius Operum Vol. II. Cur. 62. p. 722.* Cineres, carbones & cretam magna quantitate singulis fere diebus deuorauit mulier quædam grauida *ap.* PHIL. GRVLINGIVM *Curat. Medic. Cent. VI. Cur. 5. p. 6.* Stramen puella nobilis, ubicunque habere potuit, auide comedit. Cumque ob eam rem grauiter a matre obiurgaretur, de nocte, nemine aduertente, illud e lecto, in quo cubuit, clam deuorauit, notante HILDESIO ap. SCHENCKIVM l. c. Fœnum, stramen aliaque inepta DAN. SENNERTVS *in Paralipomenis* Gossypium, lanam, lapillos, terram, cretam variaque absurda comedebat puella quædam apud AMATVM LVSITANVM *Centur. III. Cur. 86. p. 335.* Principis cuiusdam pellex marne integros lini aut stupæ manipulos plenis buccis esitauit JOH. LANGIO *Epist. Med. Lib. II. Ep. 12. p. 550.* memorante. Fila ex vestibus, quibus consutæ fuerunt, extracta comedit nobilis puella apud VICT. TRINCAVELL. *de rat. curandi partic. corp. hum. affect. Lib. VII. cap. 5. p. 173.* Mulieris, quæ fila duplicata masticare & comedere solebat, meminit HILDESIVS *ap.* SCHENCKIVM *l. c. p. 320.* & ROSINVS LENTILIVS *in Misc. Natur. Cur. l. c.* Ex his cuspidata & reticulata, singulari artificio pro mulieribus facta ornamenta

(gene-

(genehete oder geklöppelte Spitzen) deglutiuit nobilis quædam Parisiensis fœmina, narrante GEO. PHIL. HARSDOERFFERO im grossen Schau-Platz Lehr- und Sinn-reicher Geschichte, *Hist. 67.*

§. VIII

Ad Classem animalium referri possunt anguillæ crudæ a diuersis mulieribus deuoratæ, notante PETR. FORESTO *Libr. XVIII. Obs. 7. in Scholiis p. 141.* Mulier quædam Dresdæ, prima vice grauida, duodecim vivis mullis capita mordicus auferebat, illaque deuorabat. Alia ibidem cyprinum pondere ferme unius libræ viuum a capite usque ad caudam edebat. *Misc. Nat. Cur. Dec. I. Ann. 2. Obs. 209. p. 312.* Gammaros viuos comedit, cum utero gereret, mater TRINCAVELLII, ipso testante *l. c.* Puella decem annorum ab infantia ranas, lacertas, mures, serpentes, cœcilias, variaque insecta, item carbones maxima cum voluptate deuorabat, quæ grauibus postmodum correpta symptomatibus tandem exspirauit, notante JOH. MICH. FEHRIO *Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. 1. Obs. 39. p. 110.* Bufonem viuum grandem inter alia inepta deglutiit vinitor mente captus, annos circiter 65 natus, obseruante NIC. de BLEGNY *in Zodiaco Med. Gall. Ann. I. Mens. Maio Obs. 2. p. 86. & 87.* Scorpiones & araneas citra noxam ingurgitauit adolescens quidam fatuus Patauinus, notante JOH. RHODIO *Cent. Med. III. Obs. 91. p. 172.* Puella quædam Hafniensis tenera adhuc ætate libenter araneas clanculum ingerebat, teste TH. BARTHOLINO *Hist. Anat. rar. Cent. I. Hist. 44.* Similes puellas notauit PETR. BORELLVS *Cent. III. Obs. 19. p. 213. & 214.* Plura

vel animale

exempla ſuppeditat STALPART van der WIEL *Cent. poſter. Obſ. 22. p. 248. ſequ.* Puellam ita lacertorum deſiderio detentam, ut, quoties illi liceret, arrepta fronde oblonga per hortum currendo venaretur innoxieque deuoraret, vidit MARCELLVS DONATVS *in Hiſt. Med. Mirab. Lib. IV. c. 1. p. m. 296.* Petrum Corrigium, Ludouici Regis Hungariæ aulicum, mures viuos, præciſas felium caudas, abiecta in plateis cadauera vermibus ſcatentia abſque nauſea deuoraſſe refert NICOL. ISTHVANFFIVS *Lib. VIII. Rer. Hungaric. p. m. 87.* Pellem ouillam cum lana deuoraſſe fœminam Delphenſem ſcribit P. FORESTVS *Lib. XVIII. Obſ. 7. p. m. 141.* Puellam duodecim annorum coria, præſertim auro argentoque nitida, deglubiſſe ac deglutiiſſe: alias mulieres calceamentorum ſoleas, carbones, calcem, terram & ſimilia comediſſe, ac ſi Nectare & Ambroſia nutrirentur, refert DOMINICVS PANAROLVS *Pentecoſt. III. Obſ. 38. p. 186.* Puer ſeuum & candelas deglutiit, itemque grauida quædam ruſtica interdiu candelas omnes abliguriuit, adeo, ut, cum maritus circa veſperam rediiſſet domum, iuſſiſſetque candelam accendi, factum abſurdumque appetitum uxor faſſa & culpam deprecata ſit. MELCH. SEBITZIVS *de Alimentor. facult. Lib. V. Probl. 69. p. 1384.* Legimus in pago non longe ab Andernaco, Epiſcopi Colonienſis oppido, in litore Rheni, malacia laborantem carne mariti veſci deſideraſſe atque, licet percharus eſſet, hac duntaxat de cauſa occidiſſe illum & dimidia fere carne dilecti coniugis ſaturatam, reliquum ſale maceraſſe. Lembergi vero ſacerdotem lotis & nudis pedibus egreſſum

balneo

balneo mulier grauida ſubſecuta, pedum deſiderio capta, procidit a tergo in genua ac, ambabus manibus crure altero apprehenſo, de calce ſacerdotis mordicus fruſtum euulſit dentibus. Mulier alia uterum ferens deſiderio humeri piſtoris denudati & panem ad furnum deferentis irretita, mœſta omnem cibum, præter carnem de piſtoris humero, faſtidiebat. Maritus uxoris miſertus, certam pecuniam pro ſingulis de humero piſtoris morſibus cum eo paciſcebatur. Duos itaque dentium mulieris inſultus fertur ſuſtinuiſſe tertium vero, doloris pertæſus, ferre noluit. Mirum quid accidit. Mulier tergeminos eſt enixa, duos viuos, tertium vero mortuum. Hæc JOH. LANGIVS *Epiſt. Med. Lib. II. Ep. 12.* ex quo HORATIVS AVGENIVS ſuppreſſo Autoris nomine narrat *Epiſt. & Conſult. Medicinal. Lib. III. p. 426.* Stercus bubulum comediſſe fœminam quandam narrat DAN. SENNERTVS in Paralipomenis. Nobilis quædam virgo ſtercora humana auidiſſime exoptabat & pulueriſata, tanquam tragemata, comedebat, latrinarum cruſtas chartæ inuolutas ſecum ferens ap. P. BORELLVM *Cent. IV. Obſ. 2. p. 281.* Alia ruſtica mulier mariti merdam adhuc calentem ſummo cum delectamento ingeſſit. *vid.* CHR. FRANC. PAVLLINI *Obſ. Med. Phyſ. Cent. II. Obſ. 53. p. 216.*

§. IX.

E foſſilium genere terra eſt. Puerum haud vel minerale, aliter eam comedentem, quam panem vidit HIERON. MERCVRIALIS *Prælect. Patau. Lib. III. cap. 6. p. 273.* Grauidam quandam in maxima copia cretam voraſſe perhibet P. FORESTVS *Lib. XVIII. Obſ. 7. p. 141.* Ædituus

tuus quidam in cœnobio Schœnfeldensi pluribus annis arenam auidissime & appetiit & deuorauit, ac inde se magnam valetudinis commoditatem percipere asseruit, notante GEO. OETHEO *ap.* SCHENCKIVM *Obs. I. p. 320.* Mulier alia ætatis prouectæ, adeo, ut amplius non pareret, quotidie solita fuit comedere bonam partem arenæ, tantoque appetitu & delectatione, ut ea carere nunquam posset, sed etiam noctu vicinam lecto reponeret, quo præsto esset: arena erat non limosa, sed granulosa: pro vice tantum capiebat, quantum pugno comprehendere poterat, referente CASP. WOLPHIO *ap.* SCHENCKIVM *l. c.* Alia, suppressione mensium diu laborans, cachectica & decoloratissima, esu argillæ, qua etiam utebatur, ob picam satis expleri non potuit, notante HIERON. REVSNERO *in Obseruat. per* GEO. HIERON. VELSCHIVM *edit. 69. p. 40.* Puella quædam laborauit vehementi auiditate vescendi lapillis, præsertim iis, qui aliquandiu lunæ radiis fuerunt expositi, utpote quos longe iucundioris & suauioris saporis censebat præ cæteris, notante LVDOVICO de la FORGE in Notis ad REN. CARTESII Tract. de homine *p. m. 92.* Rusticus quidam quadraginta annorum, homo robustus, firmæ valetudinis, fortunæ satis commodæ, frusta collisarum ollarum, quocunque pergebat, secum ferre solitus fuit & dentibus non minori appetitu comminuere, ac si panem bis coctum, aut libum duriusculum manderet. Idque adeo in deliciis habuit, ut uxori ipsius necesse fuerit, ollas & eiusmodi fictilia summa cura reclusa præseruare, ne culina ollis destitueretur, narrante

OETHEO

OETHEO *ap.* SCHENCKIVM *l. c.* Et nota fuit RODERICO a FONSECA mulier, quæ vaſa terrea cocta quotidie comedebat & tota vita & cum iam ſeneſceret, correpta febri acuta non potuit abſtinere ab eſu teſtarum, quas clam deuorauit, *vid.* EIVS *Conſult. Med. 94. p. 557.* Puella quædam calcem a parietibus deraſit & comedit. TRINCAVELL. *de rat. curandi partic. hum. corp. affect. Lib. VII. cap. 5. p. 173.* Tres virgines ſorores, eiuſdem parentis filiæ, ex eſu calcis intra triennium ſublatæ fuerunt, quarum ultimam nec primæ, nec ſecundæ mors ab illius eſu deterruit, *vid.* CASP. a REIES *in Camp. Elyſio iucund. Quæſtion. Q. 50. p. 621.* Studioſus quidam Vpſaliæ degens cum pica plane inſolita conflictatus eſt, dimidio namque anno orexi laborauit tanta, ut nullis cibis vulgaribus, quantumuis ſolidis, ſatiari potuerit, adeo & duriſſima quæque & ipſa metalla, æs, ferrum, argentum, ut fortuna obiiceret, appetiit auideque hauſit. Inter alia ferreum cultellum digiti longitudine dentium molitione diu fruſtra fatigatum abliguriuit totum, qui, cum aliquot poſt dies ab aluo deiiceretur, ſemeſus apparuit & aliqua ſui parte minor: certe tam mollis factus erat, tamque friabilis, ut digitorum attritu in crocum faceſſeret, referente JOH. NIC. PECHLINO *Lib. II. Obſ. 55. p. 344. & 345.* Filia Conſulis Amſtelodamenſis tantum non delectata, verum auide & ad ſatietatem uſque fruita plumbi laminis minutim conciſis & ceſpite ſulphureo, ad inſtar alimenti vel maxime familiaris. *vid.* NIC. TVLPIVS *Lib. IV. Obſ. Med. cap. 24.*

§. X.

§. X.

Causa morbi.

Quæritur iam de causa huius affectus, vnde scil. fiat, quod appetitus ad eiusmodi obiecta inusitata, inepta, sordida & absurda feratur? Mirum haud foret, si tale quid committerent mente capti, maniaci, melancholici, fatui, aut febricitantes graui delirio correpti: Ast hominem, cui sanæ rationis integer usus est, adeo turpiter peccare circa selectum ciborum, & quidem nulla urgente necessitate, id profecto fidem pene superaret, nisi obseruationibus confirmaretur vix numerandis. Ante omnia proinde moneo, ad mentem non pertinere iudicium de saporibus, sed ad animam, quam cum brutis communem habemus, sensitiuam puta. Quanquam vero dictamen sanæ rationis in hoc passu abstinendum esse a talibus ineptiis suadeat, non paret tamen anima, quemadmodum v. g. in terrore, ira, salacitate, motibus conuulsiuis, aliisque casibus anima tam secundum, quam præter naturam, agit, quod vult, etiamsi mens vel maxime contradicat.

§. XI.

Subiectum.

Pertinere autem picam ad animam sensitiuam, vel eo ipso probari posset optime, quod etiam bruta hoc malo interdum tententur. Equidem fateor, difficile hoc esse probatu, quoniam bestiæ secundum naturam appetunt, quæ hominibus inepta sunt. Felis captat mures, aues piscesque, ciconia ranas & serpentes, gallinæ araneas & lapillos, porci etiam stercus humanum. Quæcunque igitur CHR. FRANC. PAVLLINI *in Dec. II. Ann. V. Append. Obs. 5. p. 8.* de

morbo

morbo pica picæ auis refert, paulo attentius examinari merentur. Pharmacopœus quidam, inquit, cicurem alebat picam fœmellam, quæ non tantum araneis, minutis pisciculis, quos fundulos dicimus, caseo, sed etiam maiusculis aliquando lapillis, friabilibus tamen, imo cicutæ semine citra noxam cupide vescebatur: vorato tandem foliolo (quod domestici notarunt) Asari, fauste purgabatur, inordinato isto appetitu ad duos fere menses cessante, quibus vero elapsis, rediit. Certe inter pennata sunt alia carniuora, ut corui &c. alia graniuora, ut columbæ &c. alia promiscue graniuora & carniuora, uti anates. Quis vero determinabit cuique conueniens pabulum? Quid si pica ex incuria aut per lusum quasi semen cicutæ aut folium asari inter alia deglutiuerit, quemadmodum gallus Indicus nummos ex Aurichalco factos pabulo admixtos auide vorat, notante THOMA CORNELIO CONSENTINO *in Progymnasmate VI. de Nutricatione p. m. 207. & 208.* De quibus notum est, eas haud raro suos deuorare fœtus. De cane venatica itidem refert NATHANAEL FAIRFAX *in Actis Anglicanis 1667. Mens. Nouembri p. 447.* eam paucis diebus ante partum, licet quotidie ad satietatem nutriretur usitato alimento, tanta affectam fuisse famis præternaturalis violentia, ut repertos alterius canis catulos quatuor quinqueue deuoraret, & ipsam eorum matrem adoriretur, ut vix ab eius rabie liberari potuerit. Hæc quidem pro picæ mulierum analogo in brutis habentur ab Autore allegato; attamen parum probarent, nisi aliæ suppeterent historiæ. Quod

si autem verum est, felem RIVERII domesticam, & quidem sterilem, carbones & cineres comedisse, postquam a multis diebus alium detrectaret cibum, quemadmodum *in* EIVS *Cent. IV. Obs. 93. p. 654.* legimus, maiorem mereretur fidem.

§. XII.

Quicquid tamen sit, saltem hoc verum est, pertinere picam ad morbos spirituum, siue animæ sensitivæ: siquidem huius officium est, non modo sentire, mouere, sed etiam curam gerere vitæ ac sanitatis. Sane mens humana tanquam mere spiritualis mortem haud metuit, ideoque nec cibo potuue indiget, ad cogitationes subliminiores destinata. Verum, quam communem cum brutis habemus, materialis anima, vulgo sensitiua, ignobilioribus destinata functionibus, circa ea versatur, quæ pariter materialia sunt. Ante omnia instructa est a DEO certo appetitu, beneficio cuius alimentum laudabile ab illaudabili, eiusque defectum, sufficientiam & excessum distinguit & obseruat. Hunc in finem sensibus instruitur anima, ut e. g. in stomacho tactu percipiat eius vacuitatem repletionemque: visu autem, olfactu, gustuque, quo facultates cibi potusque explorare accuratius & utile ab inutili discernere valeat.

§. XIII.

Disputent alii de sede huius appetitus aut parte affecta in pica vel aliis concurrentibus humorum vitiis. Scio a GALENO *Operum Classe II. de Caus. Sympt. Lib. I. Cap. 7. p. m. 36.* ventriculi tunicas accusari, quatenus vitiosum aliquod excrementum imbibe-

biberunt & *Claſſ. IV. de locis affectis Lib. V. Cap. 6. p. m. 67*, os ventriculi, puta ſuperius. Scio pleroſque humores eiuſmodi prauos ex utero repetere: alios cerebrum allegare: alios linguam: alios ſaliuam. Lego in JOH. MATTHÆI *Quæſt. Med. XII. p. 59.* quæſtionem: An pica ſolius ventriculi & uteri vitio fiat? ad quam ita reſpondet: Cauſam huius mali GALENVS, AETIVS, ACTVARIVS, e recentioribus MERCATVS, MONTANVS, SAVONAROLA, & quotquot de morbis mulierum ſcripſerunt, in corruptos & indicibilis qualitatis humores, vel vapores ex utero aſcendentes & ventriculum occupantes coniecerunt, quaſi pro varia humorum & vaporum ex utero in ventriculum irrepentium conditione, varia & inſueta edulia appetantur. Suſpicor tamen huius appetitus cauſam minus philoſophice ſoli ventriculo imputari. Etſi enim ventriculi officium ſit cibum appetere, ciborum tamen electio, hunc ſcilicet cibum tanto ardore appetere & eligere, illum renuere, penes cerebrum eſſe videtur. Eligere namque & diiudicare cibos, hunc vel illum, licet pretioſum & inſuetum, appetere, poſthabito & neglecto omni periculo, non ventriculi, ſed cerebri vitio accidit &c. Quapropter dubium non eſt, quin inordinatus ille & præternaturalis prægnantium appetitus, ſi non ex cerebro ſolo a prauis & corruptis uteri exhalationibus infeſtato, ſaltem ſimul & una cum ventriculo affecto oriatur &c. Longe aliter ſentit CAROLUS FRACASSATUS *Exercit. Epiſt. de lingua p. m. 255.* qui picæ cauſam in papillarum linguæ vitio quærit, exiſtimans, illas veluti ſcirrhoſas aſpe-

ra & acria poſcere ac inſueta, ut valida motio in illis ſuccedat, ut inde ſentiant. Si denique MICH. ETTMVLLERVM *Oper. Tom. II. Colleg. Pract. Cap.* 2. *Art.* 2. audiamus, vitium aliud erit in ſtomacho, videlicet fermenti depravati, quod pro cauſa picæ habet, aliud in ore, ſcil. ſaliuæ corruptæ, guſtum deprauantis, aliud in phantaſia, in qua ſedem primariam picæ & malaciæ collocat, adeoque ſubiectum inhæſionis nominat.

§. XIV.

Cauſa proxima.

Aſt, ſi rem accuratius penſitare velimus, vera & proxima picæ cauſa non eſt in ſolidis partibus, non in humoribus quærenda, ſed unice in ipſa anima male cibos diiudicante. Quamuis enim famem ſentiamus in ſtomacho, nequaquam tamen credendum eſt, fibras eius aut tunicas glanduloſam, carnoſam, neruoſam appetere, ſed potius inhabitantem animam, quæ in hoc organo ſentit alimentorum defectum, adeoque deſiderat, quæ utilia & neceſſaria nouit. Multo minus de humoribus dici poteſt, quod appetant. Fermentum ſane ventriculi nullum eſt: humores acres ab utero aſcendentes ad ventriculum & cerebrum per modum vaporis, fictitii ſunt, ſaltem in pica allegari nequeunt, quoniam hic morbus non ſexui ſequiori proprius eſt, ſed cum virili communis.

§. XV.

Appetitus erroneus.

In hoc nimirum conſiſtit pica, quod anima appetat, quod appetendum non erat, & oblectamentum quærat in eo, quod approbari non meretur. Profecto ſecundum naturam quæ iucunda, quæ utilia, quæ neceſ-

necessaria sunt, præter naturam peccamus omnino, si pro iucundis aut utilibus vel necessariis habeamus, quæ reuera non sunt. Numquis sapor est in insipidis, arena, creta, lapillis? &c. quæ suauitas esse potest in crudis piscibus, stercore humano? &c. Videlicet idem hoc in passu accidit pica laborantibus, quod aliis, quibus odor ambræ ac moschi, florum hyacinthi, iasmini, citri & aurantiorum similiumque suaueolentium adeo abhorret, ut etiam animi deliquium a tali fragrantia experiantur, e contrario fœtore castorei, fumo accensorum crinium pennarumque recreentur mirifice. Sic trahit sua quemque voluptas. Fortassis e re fuerit in originem picæ paulo accuratius inquirere, ita enim apparebit non obscure, in principio eam quandoque proficisci ab imprudentia, quemadmodum videmus infantes, quicquid ad manus peruenerit, in os ingerere, e. g. crepitaculum, lupi dentem, nummos, cultrum, aliaque ferramenta. Deinde continuatur hic error per lusum iocumque, per petulantiam, imitando alios, aut prouocando ad factum insolitum, qui enim natura simpliciores sunt, vel ad stultitiam procliues, tentant interdum absurda quæuis. Equidem nos omnes

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata,

Multo magis ii, qui sibi duritiem atque contumaciam laudi ducunt. Quam difficulter autem error hic, si aliquandiu continuatus in consuetudinem abierit, iterum corrigatur & exstirpetur, vel unicum exemplum illorum probare potest, qui Tabaci fumo adeo delectantur, ut si fistula iis negetur, masticare ipsam her-

bam non dubitent. Eſtne vero aliqua dulcedo vel ſuavitas odoris ſaporiſve in hac Nicotiana, quæ reuera nobis placere poſſit? Annon potius phantaſtica ſiue imaginaria, quam nemo perſentiſcit, niſi, qui primum tolerare fumi moleſtiam acrimoniamque didicit, etiam non ſine difficultate? Ecce iam viro digniſſimum opus, ſcilicet affectatæ picæ non diſſimile. At vereor, ne gentes barbaras nouique orbis incolas, inſtar ſimiarum, imitari volentes, paulo poſt Aſam quoque fœtidam pro condimento ciborum in uſum trahant, aut, more Anthropophagorum, fumantia adhuc inteſtina fecibus farcta e corporibus protrahant, ut vorent.

§. XVI.

Cura. Quid ergo conſilii? Sit ita, picam morbum eſſe phantaſticum, quæ vero huius erunt remedia? Conſulamus experientiam. Superius §. VIII. e PANAROLO adduximus hiſtoriam puellæ, quæ corium inauratum decorticabat, perdidit autem omnem appetitum id deguſtandi, poſtquam infuſo colocynthidis aſæque fœtidæ undique imbutum eſſet. Ad huius imitationem poſſumus rem deſideratam in pica reddere prorſus ingratam, ut hoc pacto idea illa erronea appetitus præternaturalis per impreſſionem nouæ ideæ, ſed fortioris, excitata nauſea iterum exſtinguatur. Id quod feliciter ſucceſſiſſe in aliis dubium non eſt. Ex relatione Domini Præſidis habeo: puerum quendam fere trimulum & quidem e familia honeſta oriundum obſervabant, ſæpius arena in pauimentum ſparſa, ludere, illamque deguſtare. Hoc, ut euitaretur, ex hypocauſto

eiiciebatur arena omnis, neque ſic tamen erroneus ille appetitus pueri exſtinctus fuit, utpote qui non modo reliquias arenæ, quas inter aſſerum interſtitia fouebant, cum cura extremis eruebat digitis, ſed & hinc inde angulos perquirebat diligenter, ubi quiſquiliæ cum ſcopis erant repoſitæ. Hac de re cum apud modo laudatum Virum conquereretur mater, iuſſit aloën pulveriſatam ubique arenæ admiſcere, ſed clanculum, ne puer id obſeruaret. Ita paucos intra dies, poſtquam ubique deguſtaſſet ingratum ferculum, ſponte a ſuo deſtitit inſtituto, liberatuſque a pica eſt.

§. XVII.

Neque contemnendum Conſilium AVICENNAE *Lib.III.Fen.XII.Tract.II.c.XI.fol.m.595.b.* quando lutum, ſimilemue rem in pica deſideratam, cum emetico propinare iubet; ita enim fit, ut natura poſtmodum abhorreat, quæ cum vomitu reiecta fuerunt. Hunc procul dubio ſecutus PHIL. GRVLINGIVS *Med. Curat. Cent. VI. Obſ. & Curat. V. p. 6.* etiam in grauidis optimo cum ſucceſſu lene vomitorium exhibuit, aut loco eius infuſum ex Fol. Sennæ, Rhabarb. & Mechoacann. in ▽ Cichor. Borrag. & Cinamom. addito ſyrupo de Cichor. cum Rhabarb. Et BERNH. VERZASCHA *l.c.* puero octo annorum infuſum croci metallorum cum vino albo factum ad ℥j. felici euentu præſcripſit. In prægnantibus autem, ubi propter metum abortus hoc infuſum dare non licuit, ſimilem potionem blande purgantem ex Rhabarb. Hb. Betonic. & Card. bened. cum cortic. Aurant. non ſemel utiliſſimam expertus eſt. per vomitoria.

§. XVIII.

Conferunt autem eiuſmodi pharmaca tum maxime, Alterantia.

 xime, cum vitiosi humores in stomacho collecti appetitum cibi usitati destruunt, eoque ipso ægris occasionem præbent, tentandi ac degustandi varia. Nam & hoc in passu alterantia & acidum destruentia suam mereri laudem poterunt. Quis enim dubitet, Studiosum, cuius JOH. NIC. PECHLINVS *l. c.* meminit, acidum potentissimum in ventriculo aluisse, quod ferrum soluere potuit? Sic alii forsitan arenam & lapillos, quos ab initio per errorem assumpserunt ac postmodum stomacho grata experti sunt, vel ideo auidius deuorant, quod his deglutitis melius se habeant. Præ omnibus igitur commendarem Limaturam ♂ in hoc casu, cuius solius usu, ex consilio Domini Præsidis, restitutam noui puellam septem annorum, tum temporis Pica simul & Diabete laborantem, quæ hodie adhuc satis vegeta atque sana in matrimonio viuit, immunis ab omni pica, etiam, cum grauida esset. Huc refer Salia fixa, vel etiam volatilia. Instar omnium fixorum sit oleum Tartari per deliquium, quod solum, ad plures guttulas exhibitum, in cura picæ satisfecit JOH. DOLÆO *l. c. p.* 427. Salia volatilia vero comperta sunt præ aliis omnibus efficacissima FRANC. de le BOE SYLVIO *Lib. I. Prax. Med. Cap. II. §. 48. p. m. 162.*

humores acidos

§. XIX.

vel bilem acriorem.

Si humores biliosi ardorem in stomacho excitent, quod grauidis frequenter accidit, eoque ipso ad assumenda frigida inuitent, ut pisces etiam crudos vorent, aut ipsam glaciem, qualem historiam refert ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS *Comment. in Hipp. & Galen. Aphor. XXIV. p. m. 808.* consultum est refrigerantia & diluentia præscribere.

Hæc sufficiant.

SOLI DEO GLORIA.